

conuincatur, eo facto iidem siquidem Vicebani et Comites rebellionem talismodi Nobilis ipsam dispositionem infringentis easdem viginti quinque marcas denariorum ibidem et in instanti de rebus et possessionibus suis possint et valeant extorquere. Hoc etiam in ipsa dispositione volumus esse manifestum, ut executio negotiorum premissorum, a tempore supradicto commissorum, nostrorumque, et vices nostras gerentium emergendorum litteris Regalibus et Reginalibus, vel occasione exercituum expeditionis, aut alia quacunque cautella per premissorum actuum potenciariorum seu nephariorum patratores adinuenienda, de termino per prefatos vices nostras gerentes pro ipsorum negotiorum executione deputando ad ulteriorem terminum valeat prorogari et differri. Item si aliquis ex potioribus, seu potencioribus eiusdem Regni Sclauonie Nobilibus de viribus et potentia, et quacunque sua facultate confisi, predictis Vicebanis et Comitibus nostris, ac Iudicibus Nobilium in premissis dispositionis nostre executione obedire nolleret, extunc contra talem inobedientem, et premissis dispositioni salubri et communi contrarietatem inducentem, vnanimiter et vniuersaliter cum potencia, et manu armata insurgere, et eundem rebellem, et ipsam dispositionem infringentem, per occupationem vniuersarum possessionum, et omnium bonorum suorum ablacionem ad debitam obedienciam reducere et conuertere teneamur, et simus obligati; et si aliquis ex nobis ex confidencia qualicunque, licencia a Nobis superinde minime impetrata, contra huiusmodi rebellem tempore deputando insurgere secundum sui status exigenciam nollet, extunc eandem penam, quam ipse rebellis paciatur, subeat, et subire debeat eo facto. Item si aliquis Regnicolarum eiusdem Regni Sclauonie, dolositate seu inuidia ductus, contra quemcunque nobis, scilicet Bano, aut Vicebanis, et Comitibus nostris, super quacunque re superius specificata querimoniam porrigeret, et ipsos eorundem negotiorum executores ad locum declaracionis huiusmodi negotiorum educeret, ipsique nostri Vicebani, ac Comites et Iudices Nobilium talismodi Nobilem, contra quem educerentur, immunem et innocentem reperierint, extunc actor ipsius negocij de expensis ipsorum nostrorum officialium eidem teneatur satisfaccionem conuenientem et per homines ad huiusmodi negocij executionem congregandos, limitandam satisfaccionem ibidem exhibere. Item, ex quo presens nostra dispositio et ordinacio feria videlicet secunda post Dominicam Oculi Anno Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo Nono hic Crisij, loco videlicet Sedis Iudiciarie communi, facta vniuersis et singulis Nobilibus ipsius Regni Sclauonie in longinea distancia ipsius sedis existentibus manifesta fieri non potuit, ideo disposuimus pro premissis rei salubri firmitate perfecciori, ut ipsi Nobiles ad premissum terminum qualicunque de causa ipsam sedem Crisiensem conueniri nequeunt, qui nobiscum Iuribus, et Iurisdiccionibus, quibus tempore multorum Regum actenus vsi fuimus, uti et frui intendunt, hinc vsque Dominicam Ramispalmarum nunc affuturam in dicta Crisiensi et Zagrabiensi sedibus Iudiciarijs, aut alijs locis opportunis, coram Vicebanis, ac Comitibus et Iudicibus Nobilium dictorum Comitatum, pro premissis dispositionis in concursu dispositionem corporale Iuramentum prestare teneantur, et qui hoc facere recusauerint, disposuimus, ut tales penam consimilem predictam dispositionem infringentium subire debeant eo facto. Nos vero Mathko Banus supradictus seorsim, et de per se decreuimus, ut ex parte nostri, ac fratrum nostrorum, et quorumuis ad nos pertinencium in omnibus premissis et premissorum singulis consimile Iudicium per personas